

DISSERTATIO JURIDICA,
DE

EO QVOD IVSTVM
EST CIRCA VOTA
NOVI ANNI

Vom

Recht der Neu-Jahrs=
Wünsche

QVÆ IN ACADEMIA ALBERTINA
EX CONSENSV AMPLISSIMAE FACVLTATIS JURIDICAE

HABITA EST

PRAESIDE

PHILIPPO RICHARDO
SCHROEDERO

J. V. D. ET P. P.
ET RESPONDENTE

MARTINO HENCKIO

NEOSED. POM.
D. JANVARIJ MDCCXXI.

VITEMBERGAE, ITERVM RECUSA 1734.

LIETERIS JOH. GODOF. SCHLOMACHII.

4)

DISSEMINATIO

BO. QVOD IVSTVM

EST CIRCA VOTA

NOVI ANNI

PHILIPPO RICHARDO

SCHEFFERO

MARTINO GREGORIO

PHILIPPO RICHARDO

SCHEFFERO

MARTINO GREGORIO

000592 HBL



§. 1.



UT a verborum enodatione exordiamur, notandum ante omnia est, *justi* appellationem, quæ primum in rubro locum occupat, *strictè* sumi pro Officiis, quorum valida est in foro Civili obligatio, ad quam cogi actione possis. *Latior* significatio *justi* est, quæ pium quod dicit & honestum denotat, virtutique consentaneum, ad quod pudore & humanitatis sensu in conscientia cogeris, tametsi extra Civiliū Legum tabulas istiusmodi officium positum sit. Quo sensu & *Justitia* omnes continere virtutos dicitur, illo Theognidis versu.

Justitia in se se virtutes continet omnes.

Clæ in eandem sententiam loquitur Epaminondas apud Plurarchum de Socratis Genio: Est ergo, inquit, amice, quedam etiam justitiæ exercitatio adversus opum studium & avaritiam, non quando noctu aliquis proximorum res obiens nihil furetur, neque intervertit aliena, neque patriam prodit &

amicos pecunia causa (ubi lex etiam fortassis & metus cupiditatem à maleficio deterrent) sed qui justis & lege licitis lucris abstinet, is ultro se exercet & assuefacit ad longe vitandam omnem injustam ac illicitam capturam. Vid. Brummer. ad L. Cinc. Cap. 8. num. 13. Conf. §. 9. J. de nuptiis in fin. Plinius Lib. 2. Epist. 16. & Lib. 4. Epist. 10. Nobis etsi prior justus significatus principaliter ante oculos futurus, neque tamen posterior penitus hac tractatione excludetur.

§. II.

Votum hoc loco non pollicitationem DEO factam, pro- ut in l. 2. pr. ff. de Pollicitat. & Canone 14. C. 32. Quest. 2. de quo genere & Moses pluribus in Levit. & Num. agit, quali olim se Jephtha & Agamemnon inconsiderate obstrinxerant, inconsideratius idem executi; sed amicam salutationem gratulabundamque appreciationem significat. Hoc vel deprecatorium dicitur, quo omnium malorum aversionem a sanctissimo Numine desideramus, vel precatorium, quo fausta quæque & fortunata precamur. Utrumque aliud privatum est, quod quisque pro domo sua, aut amicis facit, vel publicum, quod pro tota Republica & Personis, quæ ei præsent, publicis funditur.

§. III.

Per annum nemo non intelligit id tempus, quo sol accessu & recessu suo totam tempestatum, h. e. hyemis, veris, æstatis, autumnus varietatem facit, quæ anni discrimina primus instituisse uominibusque suis donasse Palamedes dicitur, quanquam nec defuerint gentes, quæ vel pluribus

ribus vel paucioribus partibus annum suum distinxerunt. Principium anni etiam idem apud omnes non fuit. *vid. Alexander ab Alexand. dierum genialium lib. 3. C. 24. & Samuel Pitiscus Lexico Antiquit. voce annus.* Romani ex ordinatione Romuli in honorem Martis, e quo prognatus credebatur, anni principium habuerunt, postea ab Idibus Septembr. ut ex Lege vetusta *Bodinus de Republ.*, demonstrari posse censet. *Vid. Excellent. Wildvogelius Chronoscop. legal. Exercit. L. C. 1. §. 2.* Primus Numa Pompilius, quem secutus postea Cæsar est, e decemestri duodecimestrem annum fecit, exordium a Januario mense auspicatus. Rationes *vid. apud Alexandrum ab Alexandro dierum Genial. L. 3. Cap. 24. & apud Plutarchum Quest. Roman. 19.*

§. IV.

Christiani sicut in honorem Servatoris sui, a quo nomen traxerunt, temporum seriem ab ejus *ἐνανθρωπήσει*, sive inhumanatione, ut loquitur Imperator *L. 5. §. 2. & L. 6. §. 4. C. de summa Trinitate*, numerare cœperunt, (quam Epocham a Dionysio Exiguo, Abbate Romano, imperante Justiniano inductam communiter putant) ita & anni auspicium ab ejus memoria repetendum fidei suæ maxime conveniens iudicarunt. Neque tamen eadem omnibus ratio fuit, quandoquidem nonnulli a Paschatos festo, alii a conceptionis dominicæ tempore, h. e. Martio mense, *vid. Can. I. Dist. 23. & Excellent. Wildvogel. Chronoscop. legal. Exercit. 1. Cap. 1. §. 7.* (idem adhuc hodie apud Trevirenses obtinere ex *Broweri L. XIII. Annal. Treviren. prodidit Carolus du Fresne Glossar. Verb. annus*) alii a nativitat

nicæ tempore initia annorum petebant, quæ hodie per universum passim orbem Christianum ad Calendas Januarii rejecta cernimus. Quamvis, si verum est, quod *Wilhelmus Cave Theol. Anglic. in Christianismi primitiv. Part. 1. C. 7. cit. ab Excellent. Wildvogel. d. Chronoscop. Legal. d. Exercit. 1. Cap. 1. §. 10. in fin.* scribit: *In primitiva Ecclesia Festum Nativitatis Dominica in ipso Januario celebratum & Chrysostomi demum abo in XXV. diem Decembris translatum fuisse,* non tam ordiendi anni, quam celebrandi Festi Natalitii terminus mutatus videtur.

§. V.

Hoc loco non præterendum, duplex in Ecclesia Christiana hodie anni primordium esse, *Ecclesiastici* puta (*des Kirchen Jahres*) quod in quartum; Festum Natalitium præcedentem diem Dominicum (qui *der erste Advents-Sonntag* vocatur) incidit, & *Civilis* *vulgaris*, quod Calendæ Januarii constituunt, qualis distinctio & apud Hebræos quondam obtinebat. Quando vero sanctum hocce tempus apud Christianos in Ecclesia introductum sit, utrum Seculo III. post natum Christum, an vero sub Honorio & Theodosio Juniore Imp. ut *Hildebrandus de primitiva Ecclesia diebus Festis* existimat, hanc litem incertam & vetustate obscuram dirimere, nostrum non est. *Conf. Carolus du Fresne in Glossar. Verb. Adventus*, ubi in Missis Ambrosianis sex de Adventu habitas esse dominicas inversoque ordine proximior primam, remotior ultimam dictam esse tradit. Effectum juridicum vix est, ut annus Ecclesiasticus habeat, quantum enim ad externa tum ecclesiastica, tum civilia spectat, quæ a temporum computatione pendent, ad solum annum vulgarem

rem s. civilem respicitur; non ad Ecclesiasticum; Unde de solo civili anno, qui ipsis Calendis Januarii inchoatur, nobis sermo est.

§. VI.

Atque hujus dies initialis apud Ethnicam pariter ac Christianam Antiquitatem sacer variisque solennitatibus conspicuus fuit. Iniri Magistratus solebant apud Romanos vid. L. 36. pr. ff. de Condition. & demonstrat. Nov. 105. C. 1 L. 4. §. 4. C. de Advocat. divers. Jud. Rosinus Antiquit. Rom. L. 4. C. 5. Quamvis hanc solennitatem aliis quoque aliorum Mensium diebus communem fuisse ex Alberico Gentili notet *Eccellent. Wildvogel Chronoscop. legal. d. Exerc. I. C. 1. §. 2. Conf. C. 3. §. 27.* ubi idem in Academia Giesfensi circa fascis Rectorales capessendos statuto cautum esse observat, idemque in Jenensi receptum esse subjungit, nempe ut paulo post Calendas Januarias festo Epiphaniæ (*anf den grossen Neuen - Jahres - Tag*) novus Academiae Rector in sequens semestre solenni electione constituatur. Epulæ solennes in honorem Junii instruebantur, Choreæque & Cantiones per vicos & plateas habebantur, cui haud absimilis est usitatum quondam inter Christianos festum hypodiaconorum seu libertas decembrica, de qua vid. *Carol. du Fresne in Gloss. Verbo Calenda.* Certabatur insuper mutua æmulatione in quovis artis exercitio ad totius anni diligentiam augurandam, quod constitutionibus Ecclesiasticis sub indictione anathematis abrogatum. vid. *Can. 14. C. 26. Qu. 7.* Quamvis non desint inter vulgus supersticiosum vanitatis hujus vestigia, quando

do vel ex primo hominis in platea occurſu, vel ex cocti-
 one panis aut placentarum bene aut ſecus ex furno pro-
 deuntium, & ſi quæ his ſunt familia, de totius anni even-
 tu divinare conſuevit. Contra quas ſuperſtitiones jam o-
 lim ſcripſit *Tertullianus de Idololatria Cap. 14. conf. Wildvo-
 gel. d. C. 3. §. 26. ſacrum vero & Cultui divino dicatum il-
 lum diem inter Chriſtianos fuiſſe, Jam ex Concilii Lug-
 dunenſis decreto liquet, quod eſt in Can. 1. de Conſecrat.
 D. 3. verb. Octave domini. Conf. Novell. 2. Manuelis Commem-
 Imperat. Juſtiniani Novell. ſubjecta, ubi vigefimum Decem-
 bris diem & ſequentes uſque ad ſtum Januarii vult eſſe feri-
 atos. Eadem pietas publica Germaniæ lege ſtabilita in der
 Käyſelichen Erklärung wegen der Religion zu Aug-
 ſpurg de Anno 1643 tit. von den Ceremonien, ibi.
 Man ſoll auch die Feſt/ ſo von der Kirchen angenem-
 men/ behalten/ und wo nicht alle/ doch die vornehmſten/
 nemlich die Sontage/ den Geburths-Tag des Herrn/
 die Beſchneidung des Herrn. Conf. Excell. Wildvogel. de
 Jure feſtorum d. Exercit. I. C. II. §. 4.*

§. VII.

Has Solennitates Romani votis obſignabant, cujus
 moris ratio communiter ex eo petitur, quod aſpici huic
 annorum diei omnia inefſe crediderint, quod diſerte pro-
 dit *Ovidius, Libr. I. Faſt.* ita Janum allocutus:

At cur lata tuis dicuntur Verba Calendis?

Et damus alternæ accipimusque preces?

Tum Deus incumbens baculo quem dextra gerebat,

Omina principiis, inquit, inefſe ſolent.

Nondum

Nondum vero rem conficit adjecta ratio, ni paulo altius repetatur, ut appareat, cur principiis omnia inesse, gentilis vetustas crediderit? scilicet notum est, plerosque Philosophorum veterum, Pythagoreos imprimis, Platonicos & Stoicos genios statuisse tutelares non universitatibus tantum & familiis, sed singulis quoque hominibus a primo statim in hanc vitam ingressu adjunctos, quos dæmonas vocarunt, rerum humanarum speculatores, ut ex Sententia Zenonis apud Diogenem Laërtium, describuntur, & si mala patiantur, miseratores. In hunc numerum animis quoque a corpore separatus referebant, quas cognatorum suorum curam nancisci statuebant, quanquam alii de immortalitate animæ dubitanter locuti sint, non ausi certi quod adstruere, quod vel ex illo Diogenis Cynici sub vitæ suæ finem Agesilao, dato monito apparet: *Unicum, inquit, solum certum mihi novi post generationem mortem. Hæc cum sciam, & ipse vanas spes volitantes circa Corpusculum dissipo, & te admoneo, ne majus quid homine sapias.* Gravius Hippioni conditionem animarum post mortem percontanti rescripsit: *Hortaris me, ut mittam tibi quodcunque de Morte & sepultura st atuerim, quasi perfectus Philosophus non futurus, nisi & illa, quæ post vitam erunt, a nobis didiceris. Ego vero satius duco secundum virtutem & naturam vivere, & hoc nostri esse arbitrii Ut autem quæ erant ante generationem, cesserunt nature, ita illi etiam post vitam subjicienda. Illa enim ut genuit, sic & dissolvit, nihil vero sollicitere quacunque modo sine sensibus fueris. Vid. Johann. Michæel Santagii scilicentorum Academ. fasciculus de spectris & Ominibus morientium, scilicentorum 1. §. 2. & 3. & scilicentorum 2. §. 1. Conf. Illustr. Thomasi Dissert. de Crimine Magiæ. §. 38.* Qui itaque Genios

ab animabus per mortem separatis distinctos statuebant, eosdem simul cum hominibus nasci credebant, unde maxime eos prodendis futurorum indiciis & omnibus ipsis principiis puta diebus natalibus, intentos existimabant, præsertim magno illo anni principi, cui Janus principiorum Deus præesse dicebatur, per quem primævum illud Chaos & confusam unitatem in profundum patentem significabant, prout liquet ex illo *Ovidii versu lib. 1. Fastorum*

Me Chaos antiqui, nam res sum prisca, vocabant,
accipe quam longi temporis acta canam.

Inter Christianos etsi non defuerint, qui illi de genis opinionioni Gentilium suffragerentur, *vid. Sontagius de Spectris & Ominibus Morientium Sicilimento 2, § 1. & Thomas. de Crimine Magia § 40.* Pluribus tamen puriori doctrinæ & simplicitati Christianæ magis consentaneum videtur, sicut omnium rerum, ita & ominum pendentiumque inde futurorum eventuum directionem a solo principe hujus Universi Moderatore, DEO expectare, fabulosis & incertis omnibus suo loco suisque auctoribus relictis. Nostra itaque sacra lætæque festivitates quibus, annorum auspicia condecorare solemus, etsi a Gentilibus ortum traxerint, ex alia tamen ratione, puta ex mera devotione erga supremum bonorum datorem DEum pioque de iis gaudio: Votorum vero mutuo cum privatim tum publice fundendorum consuetudo *ex laudabili decore* quodam nec non venerationis amorisque contestatione proficisci, merito statuuntur.

§. VIII.

His præmissis videamus ante omnia, quis vovere & cui voveri debeat? Cum vovere res sit humanitis & decori

cori in signum venerationis amorisve fieri solita, inde liquidissimum est, omnibus eam patere, nemini præclusam esse, sic tamen, ut regulariter ad eam cogi non possit, nisi ubi in publicum morem istiusmodi reverentiæ amorisque testificatio degeneraverit, quæ in Contemptrum alicujus & vilipendium utique impune omitti non debet cum aliud sane sit, jus decori & ipsum decorum, differantque illius denegatio & Grobianismus. *Vid. Epbr. Gerbard. in Delineat. J. N. Lib. 2. C. 6. n. 72.* Atque ex his consequitur, inter pares perinde esse, quis vovendi sparta decorique hujus observantia alterum prævenerit, inter impares vero ratio decentiæ postulat, superiorem ab inferiore salutari, illumque ab hoc venerationis declaratione præveniri. Exceptio videretur admittenda esse in infima plebe, quæ cum ad actus decori & ceremonias observandas rite, plerumque ex assuefactionis defectu sit inepta. *Vid. Thomaf. Nev. Jurispr. Rom. Lib. 1. Cap. 8. p. 87.* facile innoxia hujusmodi negligentia veniam merebitur. Plane nonnulli magis ad strenas ex more recepto lucrandas, quam ad spontaneam humanitatis testificationem edendam vota fundunt, neque tamen ob id culpandi, ut ex inferius dicendis apparebit.

§. IX,

Secundum hæc jam vota privata mutuo sibi facere solent, qui sunt in eadem familia vel amicitia nexu juncti, ita & apud Romanos uxor pro marito, & vicissim maritus pro uxore (sub qua appellatione & sponsam intelligi puto) liberi pro parentibus, Dominus pro servo, Patronus

pro Cliente, Amator pro Amica & vice versa, hi pro istis vota fundebant. *vid. Pitisci Lexic. Antiquit. sub votum Privatatum.* Utrum vero his personis votendi ritus ita observare incumbat, ut si inferior, puta liberi erga parentes, servi erga Dominos cum neglexerint, censuræ Domesticæ & juri emendationis, quod Parentibus post sublatum licet patriæ potestatis rigorem antiquum, jure novo reservatum est, *l. unic. C. de Emend. propinq. § l. 3. C. de Patr. potest. Conf. Harprecht. ad § 2. Inst. de Patr. Potest. n. 9. seqq.* obnoxii fiant? disquiri potest. Certum est, quod ex rudi simplicitate, aut intempestivo pudore omittitur, excusationem mereri, donec mollior consuetudo morum rusticitatem mitigaverit, & pudorem inconsideratum prudens exercitatio nec non cum aliis conversatio discussit. Sed quæ ex animi pertinacia, aut quodam vindictæ studio adversus dominos & parentes prætermittitur reverentiæ contestatio, eo præsertim tempore, quo omnes in domo ad exsolvendum Patri familias hocce humanitatis officium concurrunt, non videtur contemptu vacare, unde nec prohibitum erit patrifamilias liberorum servorumque feritatem pro rei & personarum Circumstantiis congrua increpatione corrigere, cui si servus aut filius inobediens se opposuerit, & infligendorum verberum Patri vel Domino ita graviori commoto occasionem dederit, verberans non tantum juste fecisse intelligendus, sed & limites castigationis vulnerando vel occidendo excedens: quia in facto licito versatus fuit, a pœna ordinaria liberandus erit. *Vid. Carpz. Praxi Criminali. Quæst. 27. n. 8. § 9. & Ludovici in Dissert. de Jure & Jurisprudencia Domestica Cap. 3. § 18. & Cap. 4. § 11.*

§. X.

Quid vero de Conjugibus & Sponsis dicendum, 'an ommissio votorum Justam frigusculo causam præbere dicenda? Olim cum ex minima, imo nulla causa, solo superveniente tædio conjuges dimitterentur, dubium non est, quin & neglecto hoc blanditiarum genere non frigere duntaxat, sed extingui quoque amor potuerit, ipsumque conjugium quantumvis consumatum dissolvi. Qualem licentiam apud Romanos post Sp. Carvili tempore non tantum introductam testatur *l. 62. inpr. ff. de donationibus inter virum & uxorem*, sed & post factam abrogationem a Justiniano *Novell. 117. Cap. 8. 9. & 10.* a Justino II, Nepote ejus velut postliminio reductam perhibet *Nov. 140. Cap. 1.* Similiter apud Hebræos jure Noachidarum citra omnem causam pro lubitu matrimonia distrahere permissum fuit, si credimus *Seldeno de J. N. & G. secundum disciplinam Hebræorum lib. 5. C. 7.* conf: *Huberus in prælect. ad tit. ff. de divortiiis n. 8. & 10. & Petrus Müllerus in Dissert. de Frigusculo cap. 4. th. 3.* Hodie etsi ob gravissimas tantum causas divortium concedatur, adeo, ut ne ad separationem quidem a thoro & mensa quodvis frigusculum sufficere credatur, *vid. Struv. S. J. C. avortit. 30. th. 40 & seqq. Beiffius de Matrim. Cap. 9.* Amoris tamen affectusque calorem tam inter personas desponsatas, quam Conjuges quodlibet frigusculum minuit, eoque varia parit incommoda, quæ alias amore in odium verso pullulare solent. *vid. Müller. cit. dissert. Cap. 4. th. 5.* Nec interest quam momentosa sit causa frigusculi, utpote cum inter morosa & inconstantia ingenia levissima sæpius occasio gravissimo

diffidio locum faciat, utique ex natura variantis sine ratione animi, qui ex panis ceremoniæ defectu, aut si hunc invenire non potest, verso fuce, ex imaginario excessu stultitiæ suæ speciem prætexere novit. Prudentes & cum ratione amantes sciunt quantum distent æra lupinis & proinde, uti non tam in verborum rituumque externorum lenocinis, quam in ipsis rerum argumentis solidi & non fucati amoris notas quærunt, ita e contrario nec cujusvis blandimenti omissionem extincti frigentisve amoris indicium habent, nisi exstantiora in sui contemptum & vilipendium signa una aliunde innotuerint. Sed de prudentiæ regulis a Sponsis & Conjugibus observandis fufius differere hujus loci non est.

s. XI.

Idem dicendum, si alterutra personarum desponsatarum vel conjugatarum prisco amatori vel extraneo olim ex conversatione sibi cognito literas votivas blandam, que felicitatis anni appreciationem continentes miserit, neque enim has pro amatoriis, quæ illicitæ consuetudinis indicium præbeant, in foro haberi posse, loquitur, quandoquidem ne mutuæ quidem salutationes, coram factæ, tamen osculo fixo obfignentur, facile sinistram in foro civili suspensionem generent, nisi aliæ concurrant circumstantiæ iudiciis legalibus locum facientes *vid. Casp. Matth. Mulleri Dissert. de Osculo Nocivo Cap. 2. §. 2. & seqq.* ubi & statuit non nocere, si quis literis subjecerit clausulam: *Sibey viele 1000. Rüsse / fieri enim potest, addit, & sapissime fit ut talia scribantur ex singulari quidem, non tamen matri.*

matrimoniali affectione. Sic Carolum V. quotiescunque ad Pontificem M. literas dedit, solenni hac usum subscripti-
one: ego manum & pedem vestræ sanctitatis deosculor,
testis est *Bodinta L. 1. de Republ. Cap. 9.* Quid multa? Cum
osculum charitativum proprium (quod in gratiam oscu-
lari nescientium, ita describit Rogerius, *aponas alteram
manum ad mentum mulieros. alteram ad occiput, cum ele-
ganti labiorum impressione apud Stryckium de Jure sensuum
dissert 7. c. 5. n. 15.* ubi recte adjicitur neminem fore, qui
hic Præceptorem desideret) in foro impune existimatur
Vid. Rosenthal. de feudis Cap. 10. Concl. 27. n. 7. quanto ma-
gis osculum Charitatis improprium & chartaceum impu-
ne haberi merebitur. Plane ex imprudentia hominum
fieri solet, ut ex istiusmodi blanditiarum exhibitionibus &
amicabili literarum commercio Zelotypia (eine *Zalousie*)
inter Conjuges oriatur, cui qui causam dare, si eam præ-
viderit, non detrectat, utique imprudenter agit, et si im-
prudenter agat istiusmodi Zelotypiæ causam amplectens.
De qua re ita canit Ovidius Lib. 3. Elegiarum

Dure Vir, imposito teneræ custode puellæ
nil agis: ingenio quæque tuenda suo est
Si qua meru demto casta est, ea denique casta est:
Quæ, quia non liceat, non facit: illa facit
Ut jam servaris bene Corpus, adultera mens est;
nec custodiri, ni velit, illa potest.
Nec mentem servare potes licet omnia claudas,
omnibus exclusis intus adulter erit.
Cui peccare licet, peccat minus: ipsa potestas
femina nequitiae languidiora facit.

§. XII.

§. XII.

Vota amicis fundimus, ut supra dictum, itaque si propter injuriam inimicitiae inter aliquos ortae, an amica novi anni gratulatio remissionem involvere dicenda? Justinianus Imperator generaliter quidem injuriam ex poenitentia remissam non posse aliquem recolere, ait § 12. *J. de Injuriis*, quod vero communiter ab Interpretibus de *expressa* non tantum remissione, quae fit pacto vel transactione (qui modus uterque hoc praecipuum habet in materia injuriarum, quod ille, *pactum* scilicet actionem ipso jure aboleat *vid. l. 7. § 2. ff. de pactis* secus ac alias fieri solet, hic nempe *transactio*, quod nullam transigenti infamiam contrahat. *vid. l. 6. § 3. ff. de his, qui infamia notantur*) verum & de *tacita* exaudiendum statuitur, quo spectare dicitur, si quis cum injuriante familiariter conversatus fuerit, cum ipso edat, bibat, ludat, ipsumque saluet & alia quaevis placati animi indicia actu externo significet. Consentit cum hac explicatione *Glossa ad Speculum Saxon. lib. 3. Art. 31. num. 7.*

Darum hält man es dafür/ daß er solches vergessen und dem Thäter verziehen habe. Denn dergleichen mag einer einem erlassen und vergeben/ also daß er es ihm zusaget/ oder nachmahls mit ihm spielet oder trincket/ und anderer freundlicher Geberde und Gemeinschaft gegen ihm pfleget/ wie einer gegen einen zu thun pflegt/ mit dem er Freundschaft hat. Darum ob es einer dem andern also zwischen beyden selbst hätte verziehen/ oder solches in einem Jahr nicht geklaget/ und Er/ oder jemand anders/ darüber nachmahls klagen wollte/ soll man

man

man die Klage keinesweges hören. In eandem sententiam loquitur *Jus Pruten Lib. 6. tit. 9. art. 4. §. 6.* Ferner so hat die Schmach- und Injurien-Klage auch nicht stat/ wenn der/ so Injuriiret und geschmähet ist/ sich derselben nicht annimt/ oder thut als wisse er nichts davon/ oder so bald er dieselbe Schmach erfahren hat/ fasset er dieselbe von Stund an nicht zu Gemütthe/ sondern dissimuliret/ und schweiget dazu still/ conversiret/ isset/ trincket/ lachet/ scherzet hält ein freundlich Gespräch mit ihm giebt demselben darüber auch noch die Hand/ der mag darnach ferner um angeregte Schmach nicht klagen. *Conf. Canonist. ad Cap. ad id X. de Sponsalibus & Huberus in Praelect. ad tit. 7. de Injuriis §. 5.* Ex quibus videtur fluere, pertinere huc illum quoque blandioris salutationis speciem, quæ fit in felicis anni apprecatione. Sed hæc absque restrictione admitti simpliciter non possunt, etenim si aliunde appareat, animum remittendi injuriam deficere, non videtur læsus ab usu Juris sui arceri posse, unde si quid blandius cum adversario egerit ex honestatis necessitate, vel cum expressa protestatione, vel post institutam jam actionem, salvo fecisse intelligendus, denn die Klage ziehet wegen der Verstellung perpetuam protestationem nach sich. *vid. Georg. Bayer in Posit. ad tit. Inst. de Injuriis n. 44. & seqq. cui tamen non assentior in eo, quod ad positionem 44. lit. a tradit in dubio ad animum revocatum injuriam præsumi, neque ejus probatione aliquem onerandum esse, cum enim supra recensiti actus tacitam remissionem involventes præsumtionem juris faciant, eo quod expressa lege contineantur, hinc putaverim, in dubio omnino standum esse huic præsumptioni, donec contrarium actor proba-*

C

proba-

probaverint. *arg. l. 6. ff. de Prob. & Prasumptionibus.*
 Quod hætenus de eo, qui injuriam passus est, si voto ad-
 versarium exceperit, diximus, idem quadrat ad eum ca-
 sum, si votum ab adversario sibi factum placide acceperit,
 quare non est, ut plura de hac quæstione verba faciamus.

§. XIII.

Sed de iis quid sentiendum, qui ex votis lucra colli-
 gunt, puta Ædituis & templorum Custodibus, Sympho-
 niacis, scholaribus aliisque id genus hominibus, an amit-
 tunt eorum vota decentiæ habitum, eo quod mercenari-
 a videantur? puto quemadmodum actus gratuiti non de-
 finunt esse tales, accedente quantumvis remunerationis
 honore, ut loquitur *Ulpianus l. 6. pr. ff. Mandati*, ita nec
 vota humanitatis reputationem amittere censenda, quam-
 vis gratiarum actionis loco strenna oblata fuerit, est quip-
 pe illa voluntaria, quæ licet postulante ita more recepto
 non facile absque levi macula, ab homine decori studioso
 denegari possit: extorqueri tamen & morose peti non de-
 bet. Unde cum ex accidenti superveniat, nonnunquam
 etiam expectationem fallat, dicendum est, nihil indecori
 hujusmodi vota continere, inprimis si strenna vota conco-
 mitans voventibus ex more consueto in partem salarii ce-
 dat. Quin vero hujusmodi consuetudo offerendarum
 strennarum propter abusum, nimiasque, quæ inde in cives
 redundat, molestias, restringi & tolli possit, dubium non
 est. Exempla de strenis prohibitis, quæ a Patrinis iis,
 quos ex sacro lavacro susceperunt, offerri solent, nec non
 quæ famulis & ancillis dantur, vid. apud *Wildvogelium in*
Chronost. legali Exerc. 3. C. 3. §. 24. & 25.

§. XIV.

§. XIV.

Venio ad Vota publica, quæ apud Romanos durante statu liebertatis pro tota Republica vel pro Curatoribus ejus, Consulibus, belli Ducibus; sub statu imperatorio maxime pro Augustis & Cæsaribus, tanquam summis Principibus, a Sacerdotibus & Consulibus publico nomine fiebant. *Vid. Gothofredus ad l. 233. §. 1. ff. de V. S. lit. l. idque non tantum ipso imperii die vel cum natus esset princeps vid. l. 7. in fine C. de feriis & Plinius lib. 10. Epist. 9. 44. 45. 60. & 61. nec pro abitu & reditu solum vid. Sueton. in Tiber. C. 38. sed & sub anni auspicio ipsis nempe Calendis Januariis, quod est cur votis communibus felicem annum aperiri dicant Arcadius & Honorius in l. unic. C. de oblatione votorum, quam erudite interpretantem vid. Job. Strauchium in Commentatione subitanea ad d. L. Quæ vota Cicero pro felicitate Consulium, totiusque Senatus fecerit, ejus Oratio pro Murena ipsis Calendis Januarii habitas ostendit. De Votis pro belli Ducibus tam in castris, quam urbe factis Tertullianus testis de Corona Milit. Cap. 12. duplicem Votorum nuncupationem memorant, primam in principiis, secundam in Capitolis factam. Plane & pro malis Imperatoribus, ne post eos pejores essent, vota fieri solebant, sic anicula Sicula rogata, cur pro Dionysii salute vota faciat, respondit: Si hic absumptus fuerit, deterior in ejus succedet locum; bonis enim mali, raro meliores succedet locum; bonis enim mali, raro meliores succedunt. *vid. Valerius Maximus lib. 6. C. 2. n. 3. exter.**

§. XV.

Hodie similem ritum servari videmus; nempe ut pastores in auspicio novi anni ex cathedra Ecclesiastica Principibus, ceteris Magistratibus totique Coetui fidelium felicia quæque precentur. Quæ consuetudo quin servari mereatur, dubium non habet, modo absit omne adulandi studium, aut propositum experendi munera, ut ex *Kestero* monet *Excellent. Wildvogel in Chronoscop. legal. dict. Exerc. 1. c. 2. §. 5.* An vero adstricti ita sint huic ritui Pastores, ut omisso eo censuram incurrant, de eo ambigere quispiam posset. Est sane hæc res adiaphora non lege, sed more introducta, quæ cum magis a cujusvis pudore & decen-
 tiæ studio pendeat, quam a necessitate, ideo si contemtus abfuerit, sola ritus hujus ommissio per se nihil importare videtur, quod censuram forensam deposcat. Imo vero, cum nec ad preces publicas, post homiliam habendas earumque formulas præscriptas Ministri ecclesiæ præcise teneri statuantur *vid. Brunn. de Jure Eccles. l. 1. Sect. 6. Membr. 6. §. 2. & 3.* quidni impunis censendus erit, qui & vota vel omiserit, vel alia forma, puta admonitionis vel doctrinæ commutaverit? *Conf. Böhmerus Dissert. de jure precum publ. Cap. 2. §. 12.* Plus dubii habere videtur, an Ordo Clericorum Voris regimini politico postponendus; Ob im gebräuchlichen Wunsch des neuen Jahres auf offene Kanzeln die hohe Obrigkeit vor dem geistlichen Stande zu begrüßen? *Negativum ex Kestero refert Excellent. Wildvogel ad Exerc. 1. C. 2. §. 5.* potissimum quia hunc ordinem servavit Christus in Oratione dominica, quia idem hodie-
 num in Lithania, nec non in precibus publicis receptum est.

est. Sed ad hæc exciperet aliquis, distinguendum esse inter *Ecclesiam ipsam*, quæ ut dispensatrix honorum animæ per verbum divinum & sacramenta consideratur, & inter *ordinem ecclesiasticam*, qui spectatur ut certa qualitas secundum quam aliquis certo jure in societate civili utatur; illa tanquam Objectum precum nobilius in publicis formulis præmittitur, non vero hic. Possêt vero dici sub ordine ecclesiastico contineri Principem, qui supremus in Republica Episcopus habetur. Sed nec hæc ratio arrideret iis, qui jus circa sacra Principi vi supremæ potestatis, non vi specialis Juris Episcopalis competere, cum recentioribus afferunt, *vid. Böhmer. Dissert. de Jure Episcopali. Princip. Evangel.* Quicquid sit horum, placet monitum Keslerianum, quod suum fecit *Excell. Wildvogel d. §. 5. esse hoc adiaphorum*, nec proinde, ubi semel receptum est, facile abrogandum cum nihil damnosi, aut quod confusionem pariat, contineat.

§. XVI.

Quod de principe dictum est, idem ad successorem ejus totamque Domum principalem plane & ad Ministros principis omnesque Magistratus extendi posse, extra dubitationem positum est, quemadmodum & Romani non pro Augustis duntaxat, sed & Cæsaribus (qua voce notum est Imperii successorem denotatum fuisse *vid. l. 2. C. si contra Jus l. 7. C. de Maleficis & L. ult. C. de Magist. Offic.*) quod & in primitiva Ecclesia observatum, nempe ut orationes & *Vota pro Ministris & statu seculari fierent teste Tertull. in Apologia C. 39.* utique ex Monito Apostoli *1. ad Timoth. 2 n. 1. & 2.* Illud vero dubio non vacat, an pro hoste quo-

quoque patriæ possessore vota in Ecclesia sint facienda? Videtur cautius procedendum esse, quo facilius ex neglecto hoc ritu contemptus colligi potest, qui & rei adiaphoræ omissionem poena dignam efficit. Sane autem si cum hoste non conspiraverint subdit, sed vi bellica coacti, non ultro a pristino domino defecerint, omnino excusandi sunt, qui subjectionis leges subeunt, ceteraque subjectionem comitantia venerationis documenta edunt, in quæ omnia pristinus territorii dominus consensisse videtur, utpote cui curæ cordique conservatio subditorum suorum esse debet. Ex iisdem itaque rationibus nec Ecclesiæ Ministris vitio verti potest, si quem belli fortuna dominum constituit & consueta reverentiæ & venerationis signa exhibeant, exemplum refert *Böhmerus in Dissert. de Jure precum publ. C. 3. §. 12.* de D. Pomerano Theolog. Wittebergensi, qui capto Johanne Friderico Electore Saxoniae eique a Carolo V. Imperatore Mauritio substituto populum ad preces & supplicationes pro præsentis territorii Domino faciendas horraturus sequenti usus allocutione prohibetur: Doch meine ich nicht den Chur-Fürst Johann Friederich / sondern den jetzigen / unsern gnädigen Herrn Moritzen / der ein rechtschaffener gütiger milder Fürst / und hat neulich dem Herrn Philippo und mir einem jeden eine Pump-Mütze voll Thaler schencken lassen.

s. XVII.

De Principe diversæ religionis utrum precibus publicis, consequenter & votis includendus sit, disputatum mox post conclusam pacem Osnabrugensem an. 1649. inter Electorem Moguntinum & Senatum Erfordensem, qui

qui liberum exercitium religionis hoc ipso lædi & consci-
entias gravari asserebat. Cum vero res sit expedita, Chri-
stianos ad facienda etiam pro Principe Ethnico vota &
obligatos esse, & antiquitus se obligatos credidisse, quid ni
ergo pro Magistratu Christiano vota fundenda, licet Reli-
gionis diversitas inter illum & subditos deprehendatur?
*Merito Paulus docet, inquit Optatus Milevitanus, orandum
esse pro Regibus & potestatibus etiamsi talis esset imperator, qui
gentiliter viveret, quanto magis, quod Christianus, quanto
quod eum timet, quanto quod religiosus, quanto quod miseri-
cors. Confer. Böhmerus d. Dissert. de Jure precum publ. C.
1. §. 11. & C. 3. §. 18.*

§. XVIII.

Olim & a consulibus publico nomine vota Impera-
toribus facta fuisse apud Romanos, supra retulimus, qua-
lis consuetudo ubi & hodie invaluit, ut solennis sub auspi-
cio novi anni gratulatio Principi dicatur, servanda omni-
no est postquam in publicum decorum conversa, quippe
quod absque violatione debitæ submissionis omitti nequit.
Quæ, vero ministris Principum & iis qui Principis vice
republicam moderantur, privatim vota dicuntur, vel in-
euntibus post ferias conventibus publicis a Collegis mu-
tuo funduntur, aut quæ Advocati apertis rursus judiciis
præfari solent, ea palam est non a necessitate aut Jure stri-
cto, sed regulis humanitatis & decori cujusvis prudentiæ
relictis pendere, ad quas ordinarie nemo cogi potest.

§. XIX.

Supereft ut dispiciamus, quid voveri conveniat? sum-
mæ

mæ hæc est; vota *bonesta esse debent & absque mordaci joco.* Quid ergo de illis Romanorum Votis inter amicos fundi solitis statuendum, qui felicia Conjugia, gazas arabicas, latos campos, divites agros, bonam sobolem precabantur. *vid. Pitisc. Lexicon. Antiquit. sub voto privato!* Sunt hæc res indifferentes minimum quantum ad eventum attinget, quæ licet in se nihil habeant inhonesti, imprudenti tamen applicatione possunt ex personarum circumstantiis indecoræ pariter ac injustæ reddi. Quid enim si quis religioso, qui votum castitatis fecit, felix conjugium & bonam sobolem apprecatur, an hoc ipso injuriam intrulisse & actione injuriarum teneri dicendus? Videtur neganda quæstio cum verba per se non sint injuriosa, quod requiritur, si fundatam habere debeat intentionem ille, contra quem sunt prolata, & præsumtio contra proferentem militare debeat *l. 5. C. de Injuriis & l. 18. §. 3 ff. eodem.* Tantum enim dolus & animus delinquendi in illo præsumitur, qui in re illicita versatur. *Gaius Lib. 2. Obs. 106. n. 1.* adeo ut si ex circumstantiis animus injuriandi appareat dubius, purgatorio juramento locus concedatur: *vid. Carpov. P. 4. Const. 42. D. 9. Harprecht. ad pr. Inst. de injur. n. 11. & 12.* Verior tamen affirmativa videtur, nimirum teneri injuriarum, qui tale Religioso votum fecerit, ex eo, quod de moribus ejus vitæ que integritate secundum professionis suæ religionem servata vel servanda aperte dubitet, quæ autem absque præcedentibus legitimis indiciis concipitur, dubitatio injuriosa est, & Legibus adversa, utpote quæ unumquemque tamdiu præsumunt bonum donec contrarium sit probatum, *arg. l. 51. pr. ff. pro Socio & l. 18. §. 1. ff. de Probationibus.* Nec excusationem hic parit
jocu

jocus, nisi ex nimia familiaritate profectus, quo casu ob-
 ner quod est apud Plautum *in Amphitr. act. 3. Scen. 2. &*
Pœnul. act. 5. Scen. 5.

- - Si quid dictum est per jocum

Non æquum est, id te serio prævorcier.

Habet enim quod sibi imputet, qui ex nimia familiaritate
 contemptum sibi contraxit. *arg. l. 19. ff. de Offic. Pras.* Aliud
 dicendum, si quis virgini bonam sobolem novi anni au-
 spiciis apprecetur. Hoc enim votum, cum per se nihil
 injuriosi contineat, eo quod sanam & ab omni contumelia
 remotam interpretationem admittat, & sub conditione
 possibili factum censeatur, puta, si *hoc anno nupserit*, inde
 nihil est, ex quo injuriandi animus colligi possit, quo de-
 ficiente, liquidissimum est, actionem injuriarum deficere.

§. XX. An vero honorum, vel divitiarum apprecati-
 one aliquis lædi potest? Videtur primo intuitu non posse
 læsionem importare res hujusmodi indifferentes, quarum
 abusu licet damnum nonnunquam homines sibi concili-
 ent, legitimus tamen earum usus multum commodi præ-
 stare, nec levi summo hominis bono sapientiæ scilicet &
 virtuti exercendæ augmento esse conspicitur. Vti vero
 imprudens rei quantumvis optimæ applicatio pessimam
 eam reddit, ita & divitiarum & honorum apprecatio per
 se licet innoxia pro personarum circumstantiis injuriæ fieri
 potest, quoribus sinistra apud alios suspicio ex novo oriri
 vel orta quondam & sopita suscitari potest. Quid enim
 si quis opimam hereditatem præsentis anni lucrandam
 voverit ei, quem suspicantur adstantes mortem alterius a
 quo hereditas speranda anxie expectare; Quid si quis Mer-
 catori amissæ præterito anno summæ, determinando eam

D

repa-

reparationem, vel accepti lucri continuationem voverit, cum tamen interfit ejus, ne vel paupertatis vilitas ex accepta jactura detegatur, aut divitiarum ex lucro percepto invidiarum exponantur. *arg. l. 2. C. de alim pupillo prstand. § 1. 2. C. quando § quibus quarta debetur.* Quid si quis diuturnam honoris possessionem & multiplicem pretii pro emto titulo elocati compensationem apprecetur, eoque Criminis ambitus tacite reum postulet, an actioni injuriarum locus erit? In his & similibus casibus puto, ad animum voventis respiciendum esse, qui si ex inconsiderantia peccet, quod etiam a nobis amicissimo fieri potest, nihil est, quod condonationem morari debeat, cum lædendi animus abfuerit, & insuper æquam facile interpretationem istiusmodi votorum formulæ recipiant, prorsus ut metus non subsit, a viro honesto exinde delationis l. diffamationis alicujus occasionem depromptum iri. Imo si depromeretur, ad istiusmodi tamen testimonium votivum ab amico prolatum in foro provocari vix posset *arg. l. 6. 9. § 24. ff. de Testibus.* In delictis tamen atrocioribus aliud dicendum videtur, in quibus quanto crassior inconsiderantia, quæ eorum objectione committitur, tanto latiore nemo negabit culpam objicienti imputari posse, quæ non in Contractibus tantum, verum & delictis, quanto ad interesse privatum agitur, dolo ex communi DD. interpretatione æquiparatur. *vid. l. 7. ff. ad l. Cornel. de Sicariis § 6. l. de suspect. Tut. Conf. Ludov. Doctr. ff. ad tit. Commod. § 32.* Plane si malitia in vovente elucescat & diffamandi libido, quin tanquam cum injuriante & diffamatore agi cum eo possit, dubitandum non est.

§. XXI. De Philosophis non est abs re disquirere,
 utrum

utrum sine aliqua injuriæ nota divitiæ ipsis voveri possint? Sane enim *Modestinus in l. 6. §. 7. ff. de excus. tut. Manifestos fieri, ait, non philosophantes, hoc est abnegatæ Philosophiæ argui, si proprie loquantur de substantia, i. e. quemadmodum ex Græco interpretatur Huberus, si in pecuniarias rationes sollicitè inquirant. Studium enim paupertatis, ut Character Philosophorum perpetuus inculcatur, hoc eos primum proficere oportet, mercenariam operam spernere, l. 1. §. 4. ff. de extraord. Cognitionibus & acriter Papinianus l. 8. §. 4. ff. de Vacatione & Excusatione Munerum, vere Philosophantes, inquit, pecuniam contemnunt, cujus retinenda cupidine fictam adseverationem detegunt.* Vnde Seneca Lucilium suum ad Philotophiam excitans *Lib. 1. Epist. 18. insipe, scribit, cum paupertate commercium habere;* Sed bona verba hominis. qui intra triennium ter millies, hoc est, ut nos loquimur, centies vices quinquies centena millia florenorum coacervasse dicitur, addit *Huberus in. Digress. Part. 1. L. 3. C. 23. §. 3.* Hodie tantum abest, ut paupertas ad Sapientiam vel Philosophiam requiratur ut quanto quis ditior, tanto habeatur sapientior.

§. XXII. Illa vero consueta vovendi formula quid sibi vult? si quis, ut omnia voluntatem amici sui sequantur, voverit. Wenn jemand wünschet, daß ihm alles selbst erwünschende Wohlergehn auagedeyen möge/ oder was er selbst wünschet und verlanget/ an est justitiæ consentanea? In foro nihil est, quod taxandæ hujus formulæ argumentum præbeat, tantumque abest, ut læsos se homines existiment tali voto excepti, ut potius enixum inde voventis animum bene sibi cupidum augurentur. Sed aliter, secundam regulas Prudentiæ *Plato de Legibus, non precandam*

candum, inquit, conandumque est, ut voluntatem nostram cuncta sequantur, sed ut prudentiam nostra voluntas. Idque tam Civitatum quam singulis petendum est precibus & viribus cunctis entendum, ut mentem habeant, & Seneca Epist. 10. circa finem, votorum tuorum, ait, veterum licet Diis gratiam facias alia de integro suscipe, roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. Quidni tu ista vota sepius facias? audacter Deum roga, nil illum de alieno rogaturus. Idem Epist. 31. Non est, scribit, quod ex illo veteri voto Parentum eligas, quid contingere tibi velis, quid optes. Vnde & bona mente ab amicissimis sæpe mala voventur, quod Seneca his indicat Verbis, Epist. 31. Surdum te amantissimis tuis presta, bono animo male precantur, & si vis esse felix Deos ora, ne quid tibi ex his, quæ optantur, eveniat. Non sunt ista bona, quæ in te ipsi volunt congeri. Vnum bonum est, quod beate vite causa est, & firmamentum sibi fidere. Annon vero sibi ipsi aliquando istiusmodi formula vovendi utens nocumento esse possit, dispiciendum. Quod si enim acciderit, ut amicus, cui felicem hoc anno propositi sui eventum alter precatus est, paulo post delictum commiserit, utrum pro Complice reputandus erit, habitaque ejus facinoris scientiæ suspicionem succurret, eo ipso, quod voluti ab altero propositi implementum apprecatus sit? Sunt qui solam conversationem, indicium ad torturam facere contendunt, vid. Farinat Qu. 42 Num. 174. & 177. Qu. 52. Num. 8 & seqq. Sed cum in Criminalibus non quævis indicia sufficiant ad suspicionem generandam, nisi valde sint verosimilia, unde rectius alii solam conversationem cum Personis malæ famæ haud sufficere existimant, nisi alia concurrant indicia, forte præstitum axilium, quo casu negari non

non potest, aggravari suspicionem quæ ex familiaritate oritur. *Vid. Zanger de Quæstion. C. 2. n. 127. & Carpz. Prax. Crimin. P. 3. q. 125. n. 35. seqq.* Accedit in casu præsentis quod vorum hujusmodi verba contineat generalia bonam explicationem recipientia, qualia ad indicia criminum non sufficere communiter ab interpretibus statuitur. *Vid. Georg. Ad Struvi Dissert. de indiciis Cap. 1. n. 3. p. 17. in fin.*

§. XXIII. Sequitur, quid votis publicis voveri debeat, ut exponamus. *Vnum omnium votum est, inquit, Plinius, in Panegyri. Cap. 94. Salus Principis Conf. l. 1. C. de Veteranis lib. 12. aliam vororum summam inter Christianos olim usitatam Terullianus in Apolog. C. 30. exprimit, precati sumus semper pro omnibus Imperatoribus vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunque hominis & Cesaris vota sunt.* Quod de exercitu forti dictum est, videretur dubium habere, an tempore belli, quod pro religione geritur, in territoriis v. g. Principis Catholici a subditis Augustanæ Confessionis addictis retineri possit aut debeat? Ratio dubitandi satis prægnans ex eo apparet, quod, qui ita voveret, adversus se ipsum & fidei suæ socios voveri videatur, quod est & contra regulas Christianismi & dictamen rectæ rationis, quod vult, *ordinatam Charitatem a se ipso incipere debere arg. l. 6. C. de Servit.* Sed quod ad Vorum attinet, cum ejus conceptio publica formula præscripta non sit, sed ab arbitrio voverentis pendeat, inde si illo rerum statu victoriæ appreciatio omissa fuit, non est, quod voverenti imputari possit. Preces vero publicæ quæ certæ includi formulæ solent, etsi proprie earum disquisitionis hujus loci non sit, putaverim tamen nihil causæ subesse,

esse, cur quid in iis orto de religione bello immutari debeat. Quæ enim pro obrinenda victoria & felici armorum exitu supplicationes in Ecclesia fieri solent, illam temper supponunt conditionem, *si justa armorum tractatio fuerit.* unde quod in Lithania habetur: *Eteten Sieg wieder seine Feinde gönnen/ a nonnullis ita effertur: Eteten Sieg wieder deine Feinde gönnen.* Quod si ergo hac de re dubium oriatur, iustissimum est, si Civis summum Imperantem super iustitia belli Deo rationem reddere permittat. *Id. Puffend. de J. N. & G. L. 8. c. 1. §. 8.*

§. XXIV. Si Pastor Augustanæ Confessionis in territorio Principis Catholici pro Ecclesiæ suæ incrementis sub auspicio novi anni vora faciens simul precatus sit, ut ab insidiis Pontificis Romani cœtus sui asseclæ præserventur, vel insuper, ut lux Evangelii in Papatum quoque penetret, an istiusmodi formula, tanquam injuriosa a territorio Domino rejici queat, disputari potest. Generaliter circa preces Ecclesiasticas interpretes Juris Ecclesiast. facultatem ordinandi eas etiam diversæ religionis Domino tribuunt, modo nihil subditis injungatur, quod eorum conscientias & Augustanæ Confessionis repugnet, ex quo *B. Linckius de J. Episcop. C. 15. n. 60.* concludit, Principem Catholicum preces apud protestantes usitatas contra Papam imminutare non posse, eamque sententiam in *punctis Juris* quidem verriorem esse, sed secundum *regulas prudentia* melius esse, autumat, si formulæ tales, qualis illa est in vulgari Cantilena: *Erhalt uns Herr bey deinem Wort, und steur des Pabsts und Türcken Mord/* omittantur, cum de substantia Evangelicæ Religionis non sint, verum ad Adiaphora pertineant. Sed adversus hæc *Böhmerus in Dissert.*

de Jure precum publ. C. 2. §. 18. Si dicendum, inquit, quod res est, non video, cur non etiam negativa in punctis juris defendi possit, quod optime ostendit Excellentiss. Dominus Thomasmus de Jure Principis circa Adiaphora C. 1. §. 1. scilicet Catholici Domini territorii nihil possunt statuere, quod aut Conscientiam aut Augustanam Confessionem violat, sed dispositio Principis circa hanc formulam violat neutrum, non illam, quia quæ cadunt Conscientias non amplius sunt Adiaphora, non hanc, quia Augustana Confessio eam formulam pro articulo fidei non agnoscit, neque aliter injungit. H. 7. Arque ex his colligi potest, si Princeps circa Preces publicas ordinarias dispo- nere earumque formulas mutare potest, quidni circa preces extraordinarias & arbitrarias, quales sunt vota auspiciis annorum fieri solita, si quid injuriosi continere videbuntur, disponere licebit?


§. XXV. Quod de Votis initio anni h. e. ipsis Calendis Januariis fundi solitis dictum est postmodum mutatum esse videtur, dum III. Non. Jan. in eam rem consecratus, ut testis est *Cajus in L. 233. §. ff. de V. S. post Calendas*, inquit *Januarias die tertio pro Salute Principis vota suscipiunt, & Plutarchus in Cicerone, editum ferunt Ciceronem III. Nonas Januarias, quo die Magistratus NVNC faciunt vota pro incolumitate Principis.* Ex quibus colligunt mutationem extincto Statu libertatis sub Imperatoribus successisse, quamvis Priscum illum morem non continuo abolitum colligant etiam ex *L. unica C. de Oblat. Votor.* ubi *Votis communibus annus aperiri dicitur, quem texrum de ipsis Calendis Januariis intelligendum esse, nonnulli autumant, quos vide apud Pitiscum Lexico Antiquit. sub Voce Votum Public.* Hodie in publicis Ceremoniis cujusvis loci consuetudo sequenda,

quenda, inter privatos vero & quidem pares, dubitan-
dum non est, quin dierum adeo stricta observatio in ami-
citiæ testificationibus prodendis non habeatur. Superiores
quoque in tanta voventium frequentia, qua molestari sæ-
pius plus, quam recreari solent, facilem in hac devotio-
nis testatione dilationi veniam concessuros crediderim.

§. XXVI. Plura essent adjicienda non diffiteor, ipsaque
materia strenarum, quæ vota comitari solent, ab hac tra-
ctatione non esset aliena; sed cum multi jam scriptis suis
hanc materiam occupaverint, *vid. Eipenius in Stre-
narum historia & Sponii Dissert. de Origine Stre-
narum*, brevia hæc pro instituti nostri ra-
tione sufficiant,



de Jure precum publi-
res est, non video, o-
fendi possit, quod C-
masius de Jure Prin-
tholici Domini terri-
scientiam aut Augu-
Principis circa hanc
que cadunt Conscien-
quia Augustana Con-
agnoscit, neque alle-
potest, si Princeps
nere earumque fo-
ces extraordinaria-
ciis annorum fieri
buntur, disponere
§. XXV. Quod
Januariis fundi se-
esse videtur, dum
ut testis est *Cajus*
ens *Januarius* die
& *Plutarchus* in
bas Januarius, quo
incolumitate Prin-
extincto Statu li-
quamvis *Priscum*
colligant etiam ex
nibus annus aperiri
Januariis intelligi
vide apud *Pitiscum*
Hodie in publicis



38
quod
is de-
es Tho-
t Ca-
t Com-
positio
e, quia
hanc,
ri non
colligi
dispo-
a pre-
auspi-
vide-

lendis
ratum
ratus,
inqui-
piunt,
II. No-
ta pro
onem
ffisse,
litum
ommi-
lendis
quos
Public.
do se-
nenda,